

Caes. BC 3.93-4:

At the Battle of Pharsalus in 48 BC, Caesar's legions charge the army of Pompey.

Sed nostri milites signo dato cum infestis pilis procucurrisserent atque animum advertissent non concurri a Pompeianis, usu periti ac superioribus pugnis exercitati sua sponte cursum represserunt et ad medium fere spatum constiterunt, ne consumptis viribus appropinquarent, parvoque intermisso temporis spatio ac rursus renovato cursu pila miserunt celeriterque, ut erat praeceptum a Caesare, gladios strinxerunt. neque vero Pompeiani huic rei defuerunt. nam et tela missa excepérunt et impetum legionum tulerunt et ordines conservarunt pilisque missis ad gladios redierunt. eodem tempore equites ab sinistro Pompei cornu, ut erat imperatum, universi procucurrerunt, omnisque multitudo sagittariorum se profundit. quorum impetum noster equitatus non tulit sed paulatim loco motus cessit, equitesque Pompei hoc acrius instare et se turmatim explicare aciemque nostram a latere aperto circumire coeperunt. quod ubi Caesar animum advertit, quartae aciei, quam instituerat ex cohortium numero, dedit signum. illae celeriter procucurrerunt infestisque signis tanta vi in Pompei equites impetum fecerunt ut eorum nemo consisteret omnesque conversi non solum loco excederent, sed protinus incitati fuga montis altissimos peterent. quibus summotis omnes sagittarii fundidoresque destituti inermes sine praesidio interfici sunt. eodem impetu cohortes sinistrum cornu pugnantibus etiam tum ac resistentibus in acie Pompeianis circumierunt eosque a tergo sunt adortae.

Eodem tempore tertiam aciem Caesar, quae quieta fuerat et se ad id tempus loco tenuerat, procurrere iussit. ita cum recentes atque integri defessis successissent, alii autem a tergo adorirentur, sustinere Pompeiani non potuerunt atque universi terga verterunt. neque Caesarem fefellit quin ab eis cohortibus quae contra equitatum in quarta acie collocatae essent initium victoriae oriretur, ut ipse in cohortandis militibus pronuntiaverat. ab his enim primum equitatus est pulsus, ad isdem factae caedes sagittariorum ac funditorum, ad isdem acies Pompeiana a sinistra parte erat circumita atque initium fugae factum. sed Pompeius, ut equitatum suum pulsum vidiit atque eam partem cui maxime confidebat perterritam animum advertit, aliis diffisus acie excessit protinusque se in castra equo contulit et eis centurionibus quos in statione ad praetoriam portam posuerat clare, ut milites exaudirent, “Tuemini,” inquit, “castra et defendite diligenter, si quid durius acciderit. ego reliquas portas circumeo et castrorum praesidia confirmo.” haec cum dixisset, se in praetorium contulit summae rei diffidens et tamen eventum expectans.

infestus, infesta, infestum “hostile, aggressive, unsafe”

procurro, procurrere, procurri, procursum “run ahead, dash forward”

exercitus, exercita, exercitum “experienced, disciplined”

repromo, reprimere, repressi, repressum “hold back, confine, restrain”

praecipio, praecipere, praecipi, praecptum “anticipate, instruct, warn”

impetus, impetus *m.*, “attack, violence, force”

pilum, pili *n.*, “javelin”

insto, instare, institi “follow, pursue, threaten”

turmatim *adv.*, “by troops, by squadrons”

summoveo, summovere, summovi, summotum “move up, advance, banish”

funditor, funditoris *m.*, “slinger”

inermis, inerme “unarmed, undefended”

defessus, defessa, defessum “weary, worn out, exhausted”
circumitus, circumitus *m.*, “Circuit, going around, circumlocution”
diffido, diffidere, diffisus sum “distrust, dispair”
praetoria porta “military gate nearest the command’s tent”
tuor, tueri, tutus sum = tueor, tueri, tutus sum.
praetorium, praetorii *n.*, “commander’s tent/headquarters”